

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0185

0183

0189

0179

0194

0174

0234

0134

0284

0084

0684

Ende

Anfang

174

graviter punita, nisi mala intentione et in contemptum prohibentis
respexisset, nam valde doluit de Sodomae subversione, et
impiis compatiens contra Deum impatiens erat, et videns
ignem Dei justitiam arguebat et blasphemabat. Et hoc Abra-
ham non fecit. Sed quare potius in statuam salis est conver-
sa, quam in aliam speciem? Dicunt Ebraei, quod mulier illa
nocte praecedenti peccaverit in sale, et sic punita fuit, ut
poena corresponderet culpare. Nam cum Loth angelos, quos
putavit esse homines, in domum suam introduxisset, et eis
cibum pararet, ut habetur Genes. 19., petivit ab uxore sal pro
condimento cibi hospitum suorum; ipsa vero, sicut et Sodo-
mitae, nullum affectum ad hospites habebat, ut superius pa-
tuit fol. 240. Et ita sal viro et hospitibus denegabat, ideo in
salis statuam conversa fuit.

Ad contemplandam hanc punitam mulierem (re-) mittit
nos Dominus Lucae 17. dicens: Memores estote uxoris
Loth. Quasi dicat: Exemplum ab ea accipite, non enim casu
sic est punita, sed ex proposita divina dispositione. Sal
enim condimentum est ciborum, et uxor Loth respiciens retro
versa est in statuam salis, quia punitio ejus dat condimentum
sapientiae: primo omnibus fidelibus, ut divinis punitionibus,
quas Dominus permittit, non contrariantur, sicut illa fecit,
nec justitiam Dei arguant, et obseruent praecepta Domini.
Secundo dat sapientiam poenitentibus, ut ad peccata emenda-
non respiciant, sed velociter fugiant. Tertio dat sapientiam
religiosis, mundum relinquentibus, ut ad mundum (246 A)
flammatum, qui totus est positus in maligno, id est, in malo
igne, non respiciant, cui solemnii voto emissio renuntiaverunt.
Nemo enim, ait Dominus, mittens manum ad aratrum, respi-
ciens retro aptus est regno Dei. Sic ergo simus memores
uxoris Loth.

Supra locum statuae iam dictae vidimus rupem, mari
quodammodo superimminente, in qua civitas Segor fuit,
una de quinque civitatibus Sodomorum, quae alio nomine
Bale nominabatur, ut Genes. 14. Ad hanc civitatem consen-
dit Loth, ardente regione inferiori, et propter eum fuit ser-
vata ab incendio, sed dum cerneret totam regionem subverti,
timuit et in suprema montium confugit. Statim autem, uti

